



8963



Amorab.

Discription

ad

Ms

T. 0.246.



ORATIO
DE GREGORIO

Nazianzeno.

RECITATA A DECANO COLLEGII PHILOSOPHICI Iacobo Lechnero Austriaco, cum gradus Magisterij decerneretur aliquot honestis & doctis uiris in Academia Vuitebergenfi, die decimo Februarij.

VVITEBERGAE.

Anno 1558.

ORATIO

DE GREGORIO

NATIVITATE

RECITATA A DE

CANO COLLEGIIS

principi Jacobo Lechnico Au

stusio, cum gradus Magis

trici doctorum sicut

honoris & doctorum in

Academia Vindob

gens, die doli

no 1788

VITTEBERGA

Anno 1788

ut
uti
er
an
st
te
m
in
ne
G
D
ge
m
fa
ab



ORATIO DE GREGO
rio Nazianzeno &c.



ONESTAE CAU
sæ sunt horum congres
suum, Nam & renun
tiationem testimoni
orum decet esse publi
cam, & convenire se
nes tanquam Censores,

ut audiant qualia sint iuniorum studia
utile est, & ipse conspectus multorum
eruditorum in hac frequentia accendit
animos iuniorum ad cogitationem de
studijs doctrinæ. Convenimus aut
tem non tantum ad hæc spectacula, sed
multo magis ad precationem. Quare
initio ad hanc meam commemoratio
nem gemitus & uota uestra adiungite,
Gratias agimus Deo æterno Patri
Domini nostri Iesu Christi, creatori
generis humani, una cum filio suo Do
mino nostro Iesu Christo, & Spiritu
sancto, quod uoce Euangelij inter nos
æternam Ecclesiam colligit, & hæc

A ij nus

nus nos clemēter seruauit & studia doctri-
næ apud nos rexit, eumq; oramus,
ut deinceps nos seruet & gubernet, &
non sinat extinguere lucem doctrinæ suæ,
et semper inter nos æternam Ecclesiam
colligat.

Deinde cum honeste institutum
sit ut in his cōgressibus dicatur aliquid
ad excitandos iuniores ad discendum,
aut ad formanda iudicia, decreui histo-
riam recitare Gregorij Naziazeni,
quæ & disputationes multas continet,
& exempla digna memoria. Liben-
ter enim huc historias ueterum scripto-
rum adferimus, ut ad cognoscendam
Ecclesiæ antiquitatem, & ad consideran-
das diiudicationes maximorum certis-
simum iuniores inuitentur. Et prodest
intueri omnium temporum Ecclesiã ut
piorum iudicijs de doctrina confirme-
mur, & exemplis erigamur, ut cum ui-
demus omnibus temporibus cymbam
filij Dei horribilibus tempestatibus
quassatã esse, & tamen diuinitus serua-
tam, non frangamur animis illa tristissi-
ma

ma specie existimantes prorsus abiectū
esse genus humanum à Deo, sed sciamus
tamen semper aliquas seruari reli-
quias, quæ sint uera Dei Ecclesia, &
hanc gestari manibus filij Dei, ne prorsus
opprimatur, sicut apud Esaiam dictum
est. Ego uos gestabo etiam in
senectâ, Ego feci, ego saluabo uos.
Nec dubito quin omnes qui Ecclesiam
amant, his historijs delectentur, in quibus
recitandis etsi deest splendor, quem
adhibuit uerustas in Panegyricis, quem
pauci imitari possunt, etiamsi uelint,
tamen etiam breuis commemoratio
multas admonitiones offert utiles par-
tim studijs, partim moribus.

Nec uero quidquam dulcius est,
quam cum illis uiris quasi colloqui,
quod fit, cum in his narrationibus
confirmamur ipsorum sententijs de do-
ctrina, & exemplis, quæ in similibus
arumnis aut consilium ostendunt, aut
certe mœsticiam leniunt. Videmur
enim iniuste petere, ut extra commu-

A in nem

nem quasi legem, nobis nihil insuaue
accidat, cum quidem sciamus quare to-
ta hominum natura ingentibus mise-
rijs onerata sit, & illos uiros meliores
asperiora tulisse.

Ac in ipso initio huius historiae hoc
exemplum nobis gratum esse debet,
quod scimus Gregorium Nazianze-
num natum esse Patre Episcopo, &
scribit ipse tam foelix fuisse coniugium
ut aliud tranquillius non uiderit. Ma-
trem etiam narrat, quia propter pru-
dentiã & sanctissimos mores magna ei-
us autoritas apud omnes honestas ma-
tronas erat, multorum dissidiorum se-
mina in urbe Nazianza & uicinia ex-
tinxisse.

Est autem Nazianza oppidum Cap-
padociae uicinum Caesareae in qua na-
tus erat Basilius cum quo postea huic
& amicitia perpetua, & studiorum so-
cietas fuit, ut postea dicam. Cum
autem domi à parentibus disceret Pro-
phetarum & Apostolorum enarratio-
nes

nes, Ecclesiæ historiam, & iudicia san-
ctorum uirorum de grauissimis contro-
uersijs, Viderant enim parentes longi
temporis certamina, quia egressi sunt
annum nonagesimum, Pater simul cu-
rauit ut ad domesticam doctrinam ad-
iungeret adolescens studia Eloquentiæ
& Philosophiæ, eumq; primum Alex-
andriam misit, quæ tunc fuit arx do-
ctrinarum in toto genere humano præ-
cipua. Fortassis & eo libentius fili-
um eo misit, quia tunc post longum ex-
ilium senex Athanasius eo redierat, cui
Ecclesia recte sentiens in Vrbe Treui-
rorum hospitium annos octo dederat.

Cum autem eloquentiæ exercitia
maiora esse Athenis, & sonum Græcæ
linguæ suauitorem ibi esse audi-
ret, & ipse natura magis ad ea studia
duceretur, Athenas post aliquot annos
profectus est. Ibi Basilium nosse ce-
pit, & cum patria communis esset, &
similia essent studia, similes uolunta-
tes, & quædam naturarum adiunctio,

A iij spectis

spretis alijs sodalicijs huic uni familia-
ris fuit, narrat enim & tunc Athenis fu-
isse corruptissimos mores & insignem
iuuentutis petulantiam, quia multi di-
uites Scholastici plus dediti erant ludis,
spectaculis, conuiujs, & obscenis uo-
luptatibus, quam doctrinarum studijs,
plures etiam palam Athei, & multi
magicis artibus dediti erant. Ab his
cum ambo abhorrent Basilus &
Gregorius, quia domestica disciplina
ad ueram Dei agnitionem, & ad hone-
stos & castos mores adsuefacti fuerat,
se se coniunxerunt, & simul in studijs
doctrinae processerunt. Ex ea familia-
ritate orta amicitia deinde nunquam
interrupta est, ut sunt durabiles amicitia-
e, quarum honesta sunt initia. Et ue-
rum illud est, ἅπαρ τὸ χριστὸν πρὸς ἰσὴν ἔχει
φύσιν. Eo tempore uenit Athenas & Iu-
lianus nondum Imperator, sed iam ex
schola accersitus ad regendam Galliam,
& sperans Imperium. Hic confirmauit
etiam improborum audaciam Athenis,
quia Ethnicis sese uenditabat, & Ma-
gos

gos consulebat, & Christianos asper-
nabatur. Ex his moribus tunc quoque
coniecturam fecerunt multi, rapturum
esse dominationem, & renouaturum
seuiciam aduersus Christianos, ut non
multo post accidit. Estque insignis &
luculenta descriptio gestuum Iuliani
apud Nazianzenum, ex quibus uaticini-
natus est, qualis futurus esset.

Etsi enim magnæ sunt latebræ peccato-
rum in improbis & astutis, & artificioso-
sæ sunt ironiæ & consiliorum occulta-
tiones, tamen naturæ peruersitas ex
monstruosis gestibus, & alijs signis animo
aduerti potest. Verba Nazianzeni de
Iuliano hæc sunt. Tunc mea coniectura
non fuit uana. Fecit enim me uateia
morum ipsius inæqualitas & admiratio-
nis magnitudo, Non enim mihi ui-
debantur signa bonæ naturæ esse, crebri
flexus colli, humeri per uices subsultantes,
Oculi uagabundi & truces, & quales
sunt in furentibus, pedes instabiles &
crebræ geniculationes. Nasus corruga-
tus ad

A v

tus ad

rus ad significandum contemptum, ridiculæ figuræ uultus, Cachinni altum crepantes, Nutus & renutus sine sermone, sermones abrupti non completis sententijs, interrogationes inordinatæ, & sine causa factæ, responsiones alienæ à proposito, nec inter se consentientes. Sed quid singula scribam. Talem ante facta esse animaduerti, qualem esse postea in ipsis factis uidimus. Hęc cum uidissem, exclamaui coram multis, qui testes huius mei sermonis esse possunt, O quantum malum nutrit Romanum Imperium. Hanc descriptionem hic inserui, ut adolescentes hac narratione commonefacti cogitent gestus recte regendos esse, & modestiæ significationes considerent.

Discesserat Athenis Basilius, manus fratris eductus ex sede, in qua declamabat, & iam Gregorio Athenæ solito do erant, quia casta mens fugiebat Ethnica & alia sodalicia. Quare & ipse aliquanto post ad senem patrem redit, cū
iam

iam tricesimum annum attigisset. Tunc
accepto baptismo pater adiunxit eum
Presbyteris, Ibi diremptis controuersis
et restituta concordia secessit ad Basili-
um, qui & ipse cum lector Cæsareæ
fuiſſet, relicta patria propter obreſcien-
tiones, tunc in suo prædio cum aliquot
auditoribus uixit. Ibi simul tredecim
annis commorati sunt, non in ignauo
ocio, sed in precationibus & in collati-
one scriptorum, quibus uniuersæ Asiæ
Ecclesias erudiebant, & ueritatem pro-
pugnabant aduersus Arianos, Mani-
cheos, & alios furores. Quantum bo-
num sit habere fidelem *παράστατον*, &
uelut Achatem, ex ueteri Prouerbio no-
tum est. Duobus pariter euntibus.

Multum igitur profuit Ecclesiæ ho-
rum duorum coniunctio, cum alter al-
terum moneret, & confirmaret, & am-
bo consentientes uicinorum concor-
diam retinerent. Sed utrumq; Deus ex
illo dulcissimo secessu in aciem & in
magna prelia eduxit, Basilium patria
uocauit

uocauit ad Episcopi munus, Vbi cum
Imperatore Valēte magna ei certamina
fuerunt. Gregorium senex Pater egres-
sus annum nonagesimum sibi adiunxit,
ut doceret Ecclesiam in publicis conci-
onibus. Ibi donec pater uixit, & deinde
post mortem patris Ecclesiam foelici-
ter rexit.

Etsi autem Valentis Imperatoris se-
uicia passim ex Ecclesijs p̄ij Doctores
pellebantur, tamen Gregorius non est
pulsus. Et fortassis eum aliquo modo
texit Olympij præsidis pietas, de quo
scribit ipse, discedere eum relinquentem
lacrymas ciuibus & memoriam benefi-
ciorum non in columnis, sed in men-
tibus bonorum & reditum eius optat.
Magnum bonum est, concordia Pa-
storis & præsidis, Sed hæc esse non po-
tuisset, si aut Olympius ad Tyrannū se
inflexisset, aut Gregorius alterum pe-
dem in Ecclesia, alterum in Curia habe-
re uoluisset, Laudanda est igitur pru-
dentia Gregorij, quod animum præsidis
non alienauit πολυπραγμοσύνη. Et
ostens

ostendunt Epistolæ Gregorij mutuam
inter ipsos beneuolentiam fuisse eximi-
am.

Postea cum Ariani dominarentur
Constantinopoli, uocatus est eo Gre-
gorius ut Episcopi munere fungeretur,
& Arianos refutaret. Ibi mansit annos
duodecim inter magna certamina nun-
quam animo fractus, etiam si magnis
contumelijs adfectus est. Primum in
templo præcipuo ut Episcopus docuit,
inde pulsus ab Arianis, locum, non do-
cendi munus reliquit, cum quidem la-
pidibus etiam obrutus esset, Sed in pri-
uata domo annos aliquot docuit donec
Theodosius Imperator Constantino-
polin uenit. Hic duxit eum in templum re-
pressis Arianis, ubi deinceps docuit
donec ibi mansit.

Cum autem Ariani non potuissent
eum pellere, exoritur alia pestis ad eum
perdendum. Gregorius Cynico cuidam
nomine Maximo persuaserat, ut do-
ctrinam Ecclesiæ amplecteretur, eumque
ad

ad presbiteri & Lectoris munus euehit.
Hic ut Cynicus & humana & diuina
iura oblitus, ardens ambitione adiun-
git se factioni, quæ Gregorio erat ini-
mica, & excutere senem & in sese trans-
ferre Episcopi dignitatem conatur,
pugnat factione, & pecunia & profes-
sus Alexandriam calumnijs accendit
Episcopum contra Gregorium. Sed
præses cui nota erat integritas Grego-
rij, eum inde pellit. Redit tamen ar-
matus ab Alexandrino, & magnos tu-
multus ciet. Interea Theodosius op-
timus Imperator cum sediciosos & Ty-
rannos in Europa magnis prælijs dele-
uisset, & uictor iam pacatum Imperi-
um teneret, tollere etiam dissidia Ec-
clesiastica conatus est. Et exemplo
Constantini Synodum indixit, quæ
secunda nominatur, ad quam conue-
runt Episcopi centum & quinquaginta
Constantinopoli Anno à natali Christi
trecentesimo octogesimo tertio. Extat
Decretum in quo profitentur Patres se
amplecti Symbolum Nicenum, & ab
co

eo non discessuros esse, & damnantur
qui negant τὸν λόγον esse ὑψίστου, &
qui negant Spiritum sanctum esse
ὑψίστου.

De his tantis rebus cum decreta facta
essent, Maximi ambitio nouum cer-
tamen mouit. Hic facione Alexan-
drina stipatus se uoluit Episcopum Cō-
stantinopoli creari. Gregorius placidissime
inquit, Se si de doctrina accusetur,
responsum esse & iudicium ipsis
qui tunc conuenerant summa uoluntate
permittere. At de Episcopi dignitate,
se prorsus nihil contendere. Sed magis
petere ut senex iam liberetur maximis
laboribus, curis, contentiōibus, quas
sustinere in hac ætatis imbecillitate
non posset. Addit etiam se malle ut
Ionam e nauis eijci quam disensionem
de dignitate diutius durare. Hortatur
ut idoneum eligant, & sint memores
dicti Prophetici, Diligite Veritatem &
pacem. Nam hæc ipsa uerba in eius
oratione recensentur. Non uicē

tricit Ambitio Maximi, Et tandem se-
ueritate Theodosij sycophanta Maxi-
mus repressus est, & piorum sententijs
creatus Episcopus Nectarius Tarsensis
uir eruditus & recte sentiens.

Redit igitur in patriam Gregorius
& ibi discordijs sedatis successorem eli-
gi curat Eulalium. Ipse secedit in præ-
dium paternum Arianza, ubi consilijs
& literis multos rexit. Sed uocatus ad
Synodos non accessit ad eas usus excu-
satione ualetudinis, ut ostendit eius
Epistola, quam prodest notam esse, ut
consideretur, quam periculosum sit Sy-
nodos conuocare aut ad eas accedere.
Ad Procopium sic scribit. Sic adfectus
sum, si uerum scribendum est, ut om-
nes Episcoporum Synodos fugere ue-
lim, quia nullus Synodi exitum uidi
bonum, aut magis finire eas dissidia,
quam accendere, nam cupiditas con-
tentionis & dominationis uincunt ra-
tionem. Nec tamen existimes hæc me
odio scribere. Ac citius aliquis iudic-
cans,

caus, accusabitur ipse, quam aliorum
certamen dirimet. Ideo me in hoc se-
cessu contineo, & ne turbetur precatio,
tranquillitatem tueri studeo. Nunc
autem & corporis infirmitas me excu-
sat, assidue enim uelut extremum halis-
tum spiro, & meo corpore uti non pos-
sum. Ideo te oro, ut & tu mihi ignos-
cas, & persuadeas Imperatori pio, ne
me propter ignauiam non accedere ad
ceteros existimet, sed ueniam det im-
becillitati, propter quam scit se mihi
petenti, secessum potius quam aliud
beneficium concessisse. Hæc de Sy-
nodis in Epistola scribit. Asperiora di-
cit in carminibus non queri ueritatem,
sed dominationem, & dilacerari orbem
terrarum ambitione docentium, & ait
eos Cercopum similes esse, id est, im-
postores, qui Sophismatum prestigijs
homines decipiunt.

ταυτὰ μὲν οἱσι φίλον, καὶ κερκώπων κράτος εἶναι

αὐτὰρ ἐγὼ χριστῷ πλήσομαι ἀτρεμέων.

Cercopum teneant ut querunt regna superbi,

sed Christi sit mens nostra quæta, domus.

B

Hæc

Hæc de uita eius legimus, quæ ex
emplum est uiri modesti, non disces
dentis ab officio propter iniurias, aman
tis ueritatem & pacem. Ex doctrina
uero ipsius testimonia petamus ueræ
sententiæ, & enarrationes aliquas eru
ditas.

Constanter amplexus est Symbo
lum Nicenum, & adfirmavit eam esse
ueteris Ecclesiæ doctrinam. Nec ab ea
cōfessione discessit fractus ullis crucia
tibus aut minis. Refutat Manicheos
& hostes gratiæ. *ὡσαυ κατ' ὀρθόδοξον πα
ρὰ θεῶ ὄντι, ἀλλὰ δέδοται τοῖς καλουμένοις ἢ
οὕτως νεύουσι.* Et aliquoties has senten
tias repetit. Refutat & Nouatianos &
Catharos, Taxat eos qui negabant De
um efficacem esse uoce Euangelij aut
Baptismo si minister sit indignus, ut in
Aphrica Donatistæ uociferabantur.
Contra hos grauitet et splendide inquit,
Vt eadem est *σφραγις*, siue aureo siue fer
reo annulo impressa sit, ita eandem esse
uim ministerij in Ecclesia. Et quidem
dulcissime ait, Deus est qui baptizat,
minister

minister tantum commodato dat manus
num, Colligit adpellationes filij Dei &
enarrat, λόγος ait dici quia sit ἐξαγγελτικός
proferens uocem Euangelij ex arcano
sinu aeterni Patris.

Etsi autem desiderantur in eo inter-
dum explicationes longiores, tamen
quid de summa doctrinae Christianae
senserit, si candor sit in iudicando, in-
telligi potest. Et hanc commemora-
tionem de uita eius institui, non modo
ut exempla morum ab eo petantur, sed
etiam ut inuitemus iuniores ad antiqui-
tatis considerationem. Prodest scire
quae sit perpetua uox Ecclesiae. Etsi
enim fides non humana autoritate nititur,
sed dictis Dei, tamen iussit Deus
nos audire docentem Ecclesiam, nosque
uult ab ea & commonefieri & confir-
mari. Atque utinam illi qui iactitant se
uetustatem Ecclesiae tueri, non umbram
eius ostenderent, sed ipsam proferrent
integram. Nunc excerpunt mutila di-
cta, notha, recentia. Haec obtrudunt
Regibus & Principibus, titulis ueterum,

B ij qui

qui si adessent hos impostores iuberent
ut sacrilegos puniri. Scriptum est. Non
dicas falsum testimonium, quanta
igitur contumelia est ueterum, produ-
cere eos ad falsum testimonium dicen-
dum. Id ne fiat legendi sunt fontes,
considerandum quid quisq; adfirmet,
qui libri quasi in alienas domos ut fu-
res & τοιχώσυχι penetrauerint, & simus
nos quoq; memores dicti Propheti-
ci, quod citauit Nazianzenus.

Diligite ueritatem &
pacem.

DIXI.



Quaestio

QVAESTIO.



NON EST NO
stri officij de causis di
sputare propter quas
institutum est, ut in
hoc loco iuniores in
confessu doctorum se

num, & in magna frequentia dicant,
etsi multas esse causas honestas cogito.
Sed nos decet modeste legibus & con
suetudini obtemperare, quod ut uere
cunde me facere intelligatis, primum à
uobis peto, ut me patienter audiatis,
deinde ut orationem iuuenilem boni
consulatis. Est hoc quoq; modestiæ,
cauere ne prolixè dicendo uidear mihi
inepte placere. Ut igitur usitatum est
quæstionem propono. An Romanus
Pontifex ius habeat transferendæ di
gnitatis Romani Imperatoris & Prin
cipum Electorum. Scio disputatio
nem de re tanta magis pertinere ad
summorum Principum consilia, quam
ad iuueniles declamationes, tamen

B iij cum

cum his diebus germaniæ Principes ad
deliberationem de re maxima conue-
niant, iustum est nos omnes, senes &
iuvenes ardentibus uotis Deum pre-
cari, ut consilia Principum gubernet, &
patriæ nostræ pacem & salutarem gu-
bernationem tribuat. Id ut faciat, toto
pectore eum oro. In hac cogitatione
non est intemptiuum simul de muta-
tione ueteris Imperij, & de ueterum
germanorum uirtute, & de horum re-
centium Pontificum audacia cogitare,
qui non nunc primum, sed antea quoq;
conati sunt germaniam turbare, muta-
ta forma gubernationis. Manifestum
est uerissimū esse dictum Xenophon-
tis, πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτικῶν θανατηφόροι.
Magnæ igitur cedes & uastationes se-
cutæ sunt, quoties tentata est mutatio,
sæpe autem inde usq; a quadringentis
annis tentata est. Et Pontifices arma-
uerunt se decretis, iubent, ut articulum
fidei omnes amplecti hanc sententiam
Romanos Pontifices habere utrunq;
gladium, hoc est, ius transferendi Reg-
na.

na. Ideo Henricos, Fridericos, Ludouici cum Bauarum non solum remouere à gubernatione, sed etiam ex Ecclesia eijcere conati sunt. Inde longa bella multorum Principum cedes, & uastationes ortæ sunt, quæ etiam posteritati nocuerunt, ut dicitur, Alta sedent ciuilis uulnera dextræ. Sic autem argumentantur. Summus Sacerdos in Lege Mosaica potestatem habuit constituendi & remouendi Reges, ut Samuel, Ioiada, & alij. Nunc Romanus Pontifex est summus Sacerdos. Sit igitur similis potestas. Constat etiam hanc Imperij germanici formam ab Othone tertio & Romano Pontifice institutam esse. Potest igitur a Romano Pontifice mutari aut aboleri, præsertim si Principes, ab ipso dissentiant, aut non defendant Pontificum potentiam. Hæc splendide exaggerari possunt. Et Ludouici Bauari tempore de hac quæstione terribiles disputationes editæ sunt. Est autem plausibilis oratio quæ coniungit

B iij

tanquam

tanquam diuino foedere summum Sa-
cerdotem, & summum Regem, quia
perfecto pius utriusq; potestatis con-
sensus ingens bonum est. Ideo con-
traria sententia, quæ Sacerdotem quasi
auellit à Rege, minus splendida est.
Vt veritas sæpe speciosa opinione
quanquam falsa obscuratur, ut dicitur,
Δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν. Circundat
autem Euangelium certas metas Epi-
scopis. Adfirmat non pertinere ad eos
constituere Imperia, ut dictum est, *Re-
ges gentium dominantur.* Vos au-
tem non sic. Non igitur habet Pon-
tifex ius dandi aut eripiendi regna suo
arbitrio. Carolus Magnus Italiam usq;
ad Neapolin tenebat, quia rebellantes
Longobardos necesse fuit eum reprimere.
Hoc iure cum teneret illam Italiae
orã, tribuit ei titulum Imperatoris Pon-
tifex, quo titulo tamen nõ est usus, nisi
concedentib. Græcis. Hanc disputati-
onem refero ad uirum clarissimum Do-
ctorem Georgium Maiorem, & cum
oro, ut de ea copiosius dicat.

Est

RESPONSIO:



ETSI DELIBERATIONES de Imperijs sunt propriae Principum, tamen sollicitudo & uota debent esse comunia omnium.

Sicut & preceptum est. Orate pro Regibus. Ac profecto nunc pericula magna sunt, & deliberatio de re maxima instituitur. Hæc eo cogitanda sunt, ut pectora ad precationem accendantur. Siqui non adficiuntur cura publicæ salutis, & tantum suas uoluptates querunt, horum uita similis est seu pecudum uitæ, seu orgijs Bacchanalium. Non igitur reprehendendi sunt qui modeste & pio studio seu ueteres mutationes in hoc imperio, seu præsentia pericula commemorant. Est omnino pulchrum ἀξιωμα senatus Principum Electorum in Germania. Nec consilium in genere humano sublimius est, & iam annos quingentos sepe profuit

toti Europæ, quod quidem Romani Pontifices sæpe euertere conati sunt. Ac ut bella aduersus Henricos & alios accensa omittam, recens neruum Electionis hac arte incidere conatus est Pontifex Aeneas Syluius, Episcopum Moguntinum Isebergensem confirmare noluit, nisi promitteret, nunquam Moguntinum Episcopum conuocaturum esse Electores, nisi interrogato & adsentiente Romano pontifice. Hoc si obtinuisset Romanus pontifex, Electorum autoritas prorsus extincta fuisset. Repugnat igitur constanter Isebergius, qui cum fulmine Pontificio ictus, pelleretur, suscepit eius defensionem in causa iusta & ad Electorum dignitatem & germaniæ salutem pertinente Fridericus Palatinus. Cumque bellum inde ortum esset, uicit tandem causa iustior. Senescit autem hac forma germanici Imperij, & iam periculus communis Imperij fatalis, uidelicet quingenti anni à tertio Othone, præterijt. Ideo non leuia pericula impendent.

pendent. Cum autem uerissimum sit
Imperia & constitui & conseruari à
Deo, sicut Daniel inquit, Deus est qui
transfert & stabilit regna, oro Deum
conditorem generis humani & custo-
dem politicæ societatis, ut tribuat Ger-
mania pacem & salutarem gubernati-
onem.

De argumentis tuis breuiter respon-
deo. Est omnino speciosa oratio que co-
pulat summum sacerdotem & Regem.
Sed tamē falsa sūt pōtificia decreta, que
Petro utrunq; gladium tribuūt. Falsus &
ille uersus est qui fuit inscriptus coronæ
Rodolphi qui in uicina urbe Mersburg
sepultus est. Petra dedit Petro, Petrus
diadema Rodolpho. Causæ autem bel-
lorum quales fuerint longum esset re-
citare. Creuit pontificia potentia suo
quodam fato, & nunc stabilitur illorū
dissidijs qui eam oppugnant. Fiet tamē
quod in Sibyllæ uersu predictum est.

ῥῶμη μὴ ρωμαίῃ ἔσεται, καὶ δῆλος ἄδηλος:

Oro autem filium Dei Dominum
nostrum Iesum Christū, ut Ecclesiam
suam & nos in ea seruet & gubernet.

Decanus

DECANVS COLLEGII
PHILOSOPHICI IN ACADEMIA
Vuitebergensi, Iacobus Lechner, natus in
urbe Austria Lyncea.

Non hic ex atomis temere & sine mente coe
Confluxit mundus cunctipotentis opus. (actis
Formatrix sed mens sapiens, bona, libera, iusta
Omnia miranda condidit arte Deus.
Non dubijs coeli uoluntur legibus orbis
Cernitur inde etiam prouida cura Dei.
Sol motum media Princeps obseruat in arce
Agminaq; astrorum lumine iuncta trahit.
Atq; anni certo describit tramite metas,
Vnde suum seruant tempora longa decus.
Hec si quis casu fluere, & sine mente putabit
Cæcus Tanarios incolit ille specus.
Nos quibus est sana melior sententia mentis,
Discimus hunc certis legibus ire polum,
Quas posuit primo sapientia protinus æuo
Cum motus anno iuraq; certa dedit:
Et quia iam pandit ueniens sua limina Ianus
Et prior exactis mensibus annus abit,
Nos huic æterno, qui cœlum & sidera fecit
Soluimus ardenti pectore uota, DEO.
Ille det, ut pacem tranquilla mente colamus
Qui cupimus recte concelebrare Deum:

Nam

I I
I A
Nam sumus haud ulla nec ui nec robore firmi,
Auxilio nisi nos iuuerit ipse suo.
Iamq; adco motus instant, damna aspera damna
Et mala continuis accumulata malis.
Vere nouo quando parientem sidera terram
Leta iuuant, diram sentiet illa sitim,
Foecundum amittet fraterni luminis usum
Cynthia, mox solem rursus & illa teget.
Credite mortales restant certamina, restant.
Et noua dissidijs semina iacta tument.
Sunt haec magna satis, sed non leuora pericla
Impendent, alijs significata modis,
Sic cum falcigero sene Mars, duo corpora in uno
Heu infœlici non bene iuncta loco,
Prodigijs mundum terrent, & damna minantur.
Frustrantemq; agros & sata leta famem
Fraudibus occultis surgentia bella uidebis
Hæc nos uere nouo sidera iuncta monent.
Astra Deus uoluit quoq; res monstrare futuras
Non igitur spernant talia signa pij.
Barbaries uitam potius decet ista Cycloporum
Quos nunquam irati numinis ira mouet.
Sic sua Sardoo rident incommoda risu
Penelopes castum qui petière thorum
Signa uident passim, sed non tangentia pectus
Nec minus à tergo pœna luenda uenit.

Nos

Nos oculos nostros cœli uertamus ad axem
(Ne dubita) fiunt cuncta mouente DEO.
Ille suam mitis nobis denunciat iram
Et nos ad ueram uult reuocare uiam,
Inuitus punit, nostroq; labore gemiscit
Et, quoties asper cogitur esse, dolet
Contatur, mouet arma diu, prius omnia tentat
Pœnarum effundat quam uiolenter onus.
Ergo conuersis animis & pectore mœsto
Fundamus læso uota precesq; DEO
Vota Deum flectunt, cum iam sua fulmina uibras
Tantum uota pia mente profecta ualent.
Crescat & in nobis discendi cura laborq;
Nam Deus hac etiam uult ratione coli
Nosse Deum doctrina facit, uestigiaq; ipsa
In se diuini plurima amoris habet.
Nunc igitur rursus studiorum examina fient.
Discentes crebro quæ repetita iuuant.
Si fuerint igitur quos non subiisse pigebit
Censuram, sua dent nomina more Scholæ
Non labor his deerit noster nec amica uoluntas
Semper & ingenijs officiosa bonis.

Iohannes Ricardus
Mansfeldensis.

DECANVS COLLEGII
Philosophici in Academia VViteber
genſi, Iacobus Lechner ex
oppido Auſtriæ
Lincea.



VM HODIE CE
lebretur Baſilij Cæſa
rieniſis memoria, cu
ius excellens fuit eru
ditio & uirtus, decet
nos & de doctrina ip
ſius cogitare, & de certaminibus. Fuit
enim & ipſius ætas turbulenta & ple
na atrocium diſſidiorum. Et in ip
ſum incurrit magna phalanx Ariano
rum inſtructa Valentiſ Imperatoriſ
Tyrannide. Nunc ſimilia accidunt.
Oppugnamur & nos à multis inimi
cis, qui armati ſunt, & Principum po
tentia, & factionibus indoctorum. Sed
precemur filium Dei Dominum no
ſtrum Ieſum Chriſtum cuſtodem Ec
cleſiæ, ut nos protegat, ſicut & Baſi
lium texit. Plurimum autem prodeſt
mente

mente intueri doctrinam ipsius & inde
de testimonia petere. Constanter de-
fendit Nicenum Symbolum, de iusti-
cia fidei etiam loquitur expresse nostro
more, utens particula, Sola fide. Ver-
ba eius hæc sunt λέγει δὲ ὁ ἀπόστολος, ὁ
καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω, λέγω ὅτι
ἡ πίστις ἡμῶν ἐγενήθη σοφία ἀπὸ θεοῦ, δικαιοσύ-
νη τε καὶ ἁγιασμός καὶ ἀπολύτωσησις, ἵνα καθὼς
γέγραπται, ὁ καυχώμενος, ἐν κυρίῳ καυχά-
σθω, αὕτη γὰρ δὴ ἡ τελεία καὶ ὁλόκληρος
καύχησις ἐν θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνη
τίς ἐπαίρεται τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἐγνω μὲν ἐνδεῶς
ὄντα δικαιοσύνης ἀληθοῦς εαυτὸν, ὡς δὲ μό-
νη τῇ εἰς ἡμᾶς δὲ δικαιομενος.

Recte etiam contra Manicheos de
auxilio Dei, & de assensione voluntatis
loquitur, οὐδὲ γὰρ ἡ περὶ τὰ καλὰ τῶν ἀν-
θρώπων ἐγχείρησις δίχα τῆς ἀνωθεν βοήθειας
τελεωθήσεται, οὐδὲ ἡ ἀνωθεν χάρις ἰσχύσει
ἢ ἢ τὸν μὴ
οὐδ' ἄζοντα παραγένοιτο ἄρ.

De his & alijs Basilij testimonijs ho-
die in publico examine colloquemur,
ad quod ut conveniant Collegæ nostri
& alij

& alij uiri docti, hodie hora prima peti-
mus, quod eo libentius facien:, si co-
gitabunt hunc ipsum Basilium horta-
torem esse, ut doctrina Philosophica
non negligatur. Extat enim eius scri-
ptum de legendis & eligendis senten-
tijs Poetarum & Philosophorum, quia
ueræ sententiæ sunt uoces Legis. Dis-
cerni tamen uult legem & Euangeliũ.
Quid dulcius est, quam antiquitatem
Ecclesiæ considerari, confirmari ueris
testimonijs, & iuari exemplis in re-
gendis moribus et multis erumnis com-
munibus tolerandis, quæ quomodo
ferendæ sint exempla præstantium ui-
rorum docent. Ad talia colloquia de
doctrinis & de uirtute uos inuitamus.
Precor autem filium Dei Dominum
nostrum Iesum Christum, ut & studia
nostra gubernet, et faciat nos organa sa-
lutaria *ἡ σκευὴ ἐλέους*, & nos clemen-
ter protegat, Bene ualete, Die
tertio Februarij.

1558.

C

Decas.



DE CANVS COLLEGIJ
Philosophici in Academia Vuiteber-
genſi, Iacobus Lechner ex
urbe Austriae
Lyncea.



CUM DOCTRINAE collatio in Vrbe Vangionum anno proximo instituta eſſet, fuit ibi Bauaricus Monachus indoctus, & audax, qui ut oppugnaret propoſitionem, Sola fide iuſtificamur, dixit iuſtificationem eſſe renouationem omnium animae potentiarum, & in concione thraſonice Platonis diſtributionem repetiuit. τὸ ἠγεμονικὸν inquit reſtitui fide, τὸ θυμικὸν ſpe, τὸ ἐπιθυμητικὸν dilectione. Non igitur inquit, Sola fide fit iuſtificatione. Quam concinna ſit haec acomodatio uirtutum ad potentias, inde iudicari poteſt, qd cū Plato ἐπιθυμητικὸν collocet in lecore, iſte Monachus eodilectionem Dei transfert. Deinde
monachus

Monachus ille uelut Asinus ad hirsans,
nec uocabula Pauli intelligit, Fide iusti-
ficamur, qui non hoc uult unam illam
uirtutem infundi, Sicut isti insulsi lo-
quuntur. Sed in uero agone monstrat
filium Dei, & perterrefactos docet in
eo solo acquiescere uelut ipsius infer-
ros uulneribus. Ideo autem hanc his-
toriam recitamus, ut iuniores magis
ament doctrinarum studia, cum uident
quales tenebrae sint indoctorum. Quid
insulsius est, quam dilectionem Dei in
Epate collocare, cum uox diuina ex-
presse dicat, Diligas dominum Deum
tuum ex toto corde. Domicilium
enim adfectuum qui proprie sic nomi-
nantur, cor esse non dubium est. Nec
ἠγεμονικὸν tantum noticiam significat, ut
in Scipione abstinentem ab alterius spon-
sa τὸ *ἠγεμονικὸν* non est tantum noticia,
Sed uelle etiam ac eligere, quod recta
noticia docebat. Magnum uero chaos
est errorum apud aduersarios qui inde
oriuntur, quod aut sermonem non in-
telligunt, aut non recte didicerunt ini-

gia earum artium quæ uiam monstrant
in docendo: nec genera doctrinarum
discernant. Quare fideliter hortamur
iuniores ut recte discant, & Dei benefi-
cio doctrinarum fontes limpidos &
non corruptos ostendimus. Et si autem
quidam seu Cynici, seu Βλακικοι, studia
Philosophiæ uituperant, & calumnijs
accendunt aduersus nos odia Principū
& populi, tamen iudicia honestorū &
doctorum uirorum scimus æquiora es-
se. Et inimicis æquissimam conditio-
nem proponimus. Cum extet integre
comprehensa doctrinæ summa, quam
profitemur, si hæc non placet, euolu-
uant sese, & corpus doctrinæ integrum
edant. Postea iudicet Ecclesia. Vetus
illud est Nazianzeni à Demosthene
sumptum, επιτιμᾶν παντὸς ὄσιον, ἐπανορθοῦν δὲ οὐ παντὸς. Acerbitatem odij signi-
ficant inimici nostri, & uirus suam ef-
fundunt, cum uituperant à nostris edi-
ta, non edunt meliora. Cum igitur
ueræ doctrinæ semina fideliter propo-
namus, iustum est nos etiam testimo-
nia

nia discantibus tribuere. Quare cum
hi quorum nomina hic ascripta sunt,
Deum recte inuocent, & pietatem ani-
mi honestis moribus declarent, & recte
didicerint initia Philosophiæ & sum-
mam doctrinæ quæ est Ecclesiæ pro-
pria, publicum eis testimonium tribu-
emus, & gradu Magisterij Philosophi-
ci eos ornabimus, Deo iuuante, Die
decimo Februarij. Ad illam testimo-
nij renūciationem, ut conueniant om-
nes Doctores, Magistri, & Auditores
petimus, & simul ostendant hoc offi-
cio suum iudicium de nostris studijs, et
uota sua ad Deū nobiscum coniūgant,
quem oramus toto pectore, ut Ec-
clesiam & nos in ea gubernet.

Date die sexto Februarij

Anno 1558.

C iij

Petitio

PETITIO AD DE.
CANVM.



DOCTISSIME DOMINE
Decane & Procancellarie
dignissime. Est historia Na-
zianzeni expressa horum
temporum, & morum atq;
hominum huius seculi pictu-
ra. Antecelluerunt illa etate
ceteris in Ecclesia, autoritate, meritis, & doctri-
ne eloquentiæ ac pietatis laude, Basilius Magnus, et
huius frater Gregorius Nissenus, Gregorius Na-
zianzenus, Amphilocheus Iconij Episcopus & alij
non multi. Hi cum essent à prima etate recte in-
stituti in doctrina Ecclesiæ, & Philosophicis arti-
bus præclare exculti, & adsuesacti ad sapientem
& perspicuam eloquentiam, & arderent studio
inquirendæ explicandæq; ueritatis, magno studio
ac contentione doctrinam Apostolicam illustrarunt
ac defenderunt, peruestigatis diligenter ac pensita-
tis testimonijs primæ Ecclesiæ, quæ erant autoritas
Apostolica tradita, & de Philosophicis studijs
in Ecclesia retinendis, quæ eiecta prorsus & sub-
lata uolebat Grex indoctorum hypocritarum, pug-
narunt acerrime, Extat graue testimonium Gre-
gorij Nazianzeni contra Philosophicæ doctrinæ
hostes

hostes in funebri oratione de Basilio Magno, cum
inquit: Confiteri oportet omnes sana mente prædi-
tos, doctrinam inter humana omnia primam ac præ-
cipuam esse, non solum hanc nostram, quæ ad Dei
nos agnitionem deducit, & salutis nostræ continet
atq; explicat fundamenta, sed & alteram illam,
τὴν ἑξωθεν τῆς ἐκκλησίας, quam multi ὡς ἐπί-
βουλον καὶ σφαλεραν, καὶ θεοῦ πρὸς ἡμᾶς βάλλουσαν
criminantur ac traducunt, κακῶς εἰδότες.
Et concludens eam partem addit: Non contemnen-
da est doctrina liberalior eo, quod aliquibus hoc fa-
ciendum uidetur, sed potius σκαιοὶ καὶ ἀπειροὶ ἐπι-
censendi sunt illi, qui in ea sunt opinione, qui opta-
rint omnes sui similes esse, ut in sui similium fre-
quentia latere, & iustam ruditis atq; inscitie suæ
reprehensionem effugere possint. Basilius peculiari
scripto edito, quæ iam explosa erant ex Scholis stu-
dia, reuocauit, excitatis ad ea colenda adolescentibus.
De eloquentia Basilij & Nazianzeni fuit iudicium
ueterum, Basilium λαμπροτάτον εἶναι ἐπιτῶν πα-
ρρησιασῶν: Nazianzenū excellere in utroq; genere,
ὑπομνηματικῶν et παρρησιαστικῶν, sed σαφεροτέρου
esse Basilio. Hos tantos uiros impiorū hypocritarū
cohors, quæ dominabatur in aulis Imperatorum &
Principū, sycophanticis calumnijs, mendacibus in-
suetationibus, nefarijs et occultis molitionibus adeo
exercuit, ut & Episcopatib. excussit quosdam, &
in exilium

in exilium pulsos presserit aliquandiu. Sed quia op^o
primi ueritas & innocentia non potest, ut maxime
laboret aliquantisper, ideo Paulo post, innocentia pa
tesacta, reuocati sunt ab exilio ac restituti honori
fice. Hæc eo commemoro, ut adolescentes exemplo
& iudicijs tantorum uirorum, quorum testimonia
usurpat Ecclesia tanquam ἀξιόπιστα, confirmati,
contemnant insulsa iudicia aliquorum, qui similibus
artibus & scriptis studia Philosophica nunc oppug
nāt & sese ad studium ardentius exuscitent. Quid
enim sit hoc tempore his dissimile? Cum itaq;
in uera Philosophia & doctrina Ecclesie egregiam
uauasse operā cognouerimus hos doctos et honestos
uiros, & spes sit operam eorum profuturam esse Ec
clesie & Reipub. tibi eos commendo, ac peto Col
legij nostri & ipsorum nomine, ut publica autori
tate testimonium eis doctrinae tribuas. Hoc benefi
cio ipsos tibi in perpetuum deuincies. Oro autem
filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, con
ditorem generis humani & Ecclesie, ut semper in
his regionib. et inter nos æternam sibi colligat Ec
clesiam uoce & Ministerio Euangelij sui, &
nos omnes faciat uasa misericordie,
& organa saluta
ria.

AB 101963 (1)

ULB Halle


3

003 924 378



171 → 172





Farbkarte #13

B.I.G.

TIO
GORIO

zeno.

À À DE

PHILOSOPH

technero Au

radus Magi

etur aliquot

octis uiris in

Vuiteber

e deci

bru

ERGAE.

558.

Handwritten scribbles and markings at the bottom of the page.

